

defluat modò tenuis, modo crassus, flavus, viridis. Insuetum hunc mucum dum ægrè ferunt fauces cum partibus adjacentibus, mox *φλογώσθ* rubent ac tumescunt, cum verò mucum illud productum laryngem occupat, excitato illius archæo, proritatur tussis, rauco generatur *videatur Helmontius de asthma & tussi t. 66 & seq.*

Inter ANNI TEMPORA Hyems ferax destillationum.

Epidemii nonnunquam sunt in malignis & pestilentibus constitutionibus ob aëris infectionem. Valescus de Taranta refert se hujusmodi stillationem epidemicam Montepessuli ANNO 1387. vidisse quæ adeò contagiosa erat, ut vix decima pars gentium præter infantes evaserit catarrhum cum febre & ferè omnes decrepiti mortui sint.

Cœlestibus influentiis alteratus aër huc facit. E capite in pulmones decedentes destillationes minatur  $\Delta$  in cancro à  $\Theta$  five  $\delta$  læsa; præprimis si in primâ aut sextâ domo constituta fuerit.

MOTUS ET QUIES, SOMNUS ET VIGILIA τὸ μετρίῳ μᾶλλον γινόμενα modum excedentia debitum in avia præcipitant laticem five lympham. DIURNUS post prandium somnus apud multos malè audit, sed tenibus sedendo qui instituitur multorum beneficiorum autor.

CIBI qualitate peccantes & quantitate naturam debilitant. Jusculorum in initio prandiî ordinarius usus catarrhorum patronum nonnulli vocant sed sine merito.

VINI moderatus usus, ut confert, ita immoderatus, in societate cerevisiæ & fumi tabacini catarrhis fores aperit.

EVACUATIONUM consuetarum suppressio patrocinium suscipit catarrhorum.

AFFECTUS animi & nocturnæ lucubrationes laticem cumulant.

RES PRÆTER NATURAM variæ occurrunt.

INTEMPERIES viscerum jecoris, ventriculi, hujusque præcipuè infirmitas & mala concoctio, chylificatio & digestio, five quod ejus fermentum sit iners, five ipsa assumpta imprimis potu-  
lenta